



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Concilium In Dalmatiae Et Diocliae Regnis Per Legatos sedis apostolicae in  
causa reformandae ecclesiasticae disciplinae anno MCXCIX. celebratum  
sub Innocentio papa III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

EPISTOLA  
INNOCENTII PAPÆ III.  
AD ARCHIEPISCOPVM ET CAPITVLUM  
COLONIENSE.

Antiquitus concessa priuilegia confirmat.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis electo  
& capitulo Colonensi salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**S**OLET annuere sedes apostolica piis votis & honestis  
petentium precibus fauorem beneuolum impartiri.  
Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris precibus incli-  
nati libertates & immunitates a Romanis pontificibus,  
prædecessoribus nostris, ecclesiæ vestræ concessas, anti-  
quas etiam & rationabiles consuetudines haçtenus in ec-  
clesia ipsa seruatas ratas habemus, & eas auctoritate apo-  
stolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio com-  
munitus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam no-  
stræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario con-  
traire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indigna-  
tionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apo-  
stolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kalendas Ia-  
nuarii, pontificatus nostri anno octauo.

ANNO  
CHRISTI  
1199.

CONCILIVM IN DALMATIÆ  
ET DIOCLIAÆ REGNIS PER LEGATOS  
sedis apostolicaæ in causa reformatæ ecclesiasticæ di-  
sciplinæ anno MCXCIX. celebratum sub Innocentio  
papa III.

TITVL CI CAPITVLORVM.

- I. *Vt episcopi pecuniam ab ordi- nandis non accipiant.*
- II. *Decalibatu clericorum, & ordi- nibus conferendis.*
- III. *De diuisione & administra-*
- IV. *De sigillo confessionis.*
- V. *De honore sacerdotibus exhibendo.*
- VI. *De gradu consanguinitatis in*

- ANNO  
CHRISTI  
1199.
- contrahendis matrimonii ob-  
seruando.
  - VII. Ut clericis tonsuram teneant  
clericalem.
  - VIII. Ut laici a rebus ecclesiasticis  
abstineant.
  - IX. Excommunicantur thesau-  
rorum ecclesiasticorum detento-  
res, & qui Latinos in serui-
  - X. Excommunicantur illi qui uxo-  
res sine iudicio ecclesie dimis-  
tunt.
  - XI. Ut nothi ad sacros ordines non  
accedant.
  - XII. Ut nullus ante trigesimum  
annum ad sacerdotium promo-  
ueatur.

## P RÆF A T I O.

**I**N nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Nos Ioannes capellanus, & Simon subdiaconus domini Innocentii papæ IIII. apostolicæ sedis legati, ad euellenda nocia de agro dominico, & virtutum plantaria vtiliter inferenda, videntes multa in clero & populo Dalmatiae & Diocliæ corrigenda, de sanctorum patrum Conciliis decreta præsentia duximus innouanda.

## C A P I T V L A.

## I.

In primis itaque decernimus, ut nullus episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promouere, seu ecclesiastica beneficia alicui precio interueniente concedere præsumat. Cum enim Dominus præceperit apostolis: *Gratis accepistis, gratis date*, & Spiritus sancti gratia venalis esse non possit, quæ confertur in sacris ordinibus, graui puniendus est poena, qui Spiritus sancti dona venalia exponere non veretur. Quocirca præsenti decreto statuimus, ut quicumque episcopus hoc agere conuictus fuerit, omni ecclesiastica careat dignitate: & sine spe restitutionis, tam ille qui dederit, quam ille qui scienter sacros ordines pecunia interueniente receperit, perpetuo deponatur.

## II.

Cum Domini sacerdotes, & si qui sacro alta-  
rio

ANNO CHRISTI 1199. Joh. 5:2.  
rio deseruunt continenter viuere debeant, iuxta illud: *Mundamini qui fertis vasa Domini*: in partibus Dalmatiæ atque Diocliæ sacerdotes & vxores habere & ecclesiæ tenere dicuntur. Quocirca præsenti decreto statuimus, ut sacerdotes & diaconi, ante suscepsum officium, nisi eorum coniuges in manu episcopi votum fecerint continentia, vxores habentes cum ipsis maneant, & ecclesiæ dimittant, non enim possunt secundum ordinem Romanæ ecclesiæ manentes in coniugio, nisi defunctis vxoribus, aut continentiam vountibus, si digni inuenti fuerint, ad sacerdotium promoueri. Illi vero, qui post suscepsum sacerdotii vel diaconatus honorem adulteras potius quam vxores accepisse probantur, nisi eas dimiserint, & dignam egerint poenitentiam, ab officio & beneficio ecclesiastico fiant penitus alieni. Prohibemus etiam ne aliquis episcopus, nisi in quatuor temporibus iuxta sanctorum patrum constitutionem, aliquem ad sacros ordines promouere præsumat: solus enim Romanus pontifex dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. Cum autem episcopus ordinatem fecerit, non nisi vnum ordinem a subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in subdiaconum ad minus per annum in eodem officio deseruiat, & diaconus similiter faciat. Qui cumque autem episcopus contra hoc venire præsumperit, tamdiu a conferendis ordinibus abstineat, donec a Romano pontifice misericordiam consequatur.      III.

Quoniam secundum gradus & ordines perso-  
*Concil. Tom. 28.*

M

narum beneficia ecclesiastica in domo Domini, secundum sanctorum patrum constitutionem distributa noscuntur, decernimus, ut decimæ, seu oblationes fidelium, tam pro viuis, quam pro defunctis, in quatuor partes diuidantur: quarum una sit episcopi, alia ecclesiarum, tertia pauperum, quarta clericorum. Portionem quidem pauperum episcopus administret; portionem vero ecclesiarum archipresbyter conseruet, & ex mandato episcopi in usibus ecclesiæ fideliter expendat. Quicumque autem clericorum contra hoc venire præsumperit, sua portione priuetur.

## IV.

Districtius inhibemus, ne aliquis sacerdos filii sui vel filiae spiritualis priuatam confessionem alicui reuelare præsumat. Quod si facere conuictus fuerit, officio & beneficio ecclesiastico perpetuo spoliatur. Idem dicimus de quolibet clero, qui de homicidio, adulterio, periurio, falso testimonio publice accusatus fuerit, & conuictus.

## V.

Cum terrenarum potestatum nuntiis siue ministris honor exhibeatur ab omnibus, multo magis ministris Dei honor a laicis exhibendus est, a quibus eis non solum diuina celebrantur officia, verum etiam sacramenta baptismi, & corpus Domini, & pœnitentia, & cetera ecclesiastica sacramenta iugiter ministrantur. Quapropter iuxta decretum domini Innocentii papæ II. districtius inhibemus, ne aliquis in personam episcopi, sacerdotis, vel cuiuslibet clerici, vel religiosi viri, violentas ma-

ANNO CHRISTI  
1199. nus iniicere præsumat. Quicumque autem hoc at-  
tentauerit, tamdiu excommunicatus maneat, do-  
nec de tanta præsumptione satisfacturus apostoli-  
co se conspectui repræsentet, vel ab eius legato  
præstata congrua satisfactione absolutionis benefi-  
cium consequatur. Similiter sub excommunica-  
tione prohibemus, ne aliquis laicus clericum ad  
peregrina iudicia trahere præsumat, veluti canden-  
tis ferri, vel aquæ, vel cuiuslibet alterius iudicii.  
Non enim pertinet ad laicum clericum iudicare.  
Si autem clericus peccauerit, ab archiepiscopo, vel  
episcopo, vel etiam prælato suo, aut Romano pon-  
tifice, si necesse fuerit, iudicetur.

V I.

Cum sacroſancta Romana ecclesia, quæ mater  
est omnium ecclesiarum, & magistra, decreuerit vt  
nullus Christianus vſque ad septimum consanguini-  
nitatis gradum coniugium contrahere præsumat,  
graue nimis est, & diuini dignum animaduersio-  
ne iudicii, quod in partibus Dalmatiæ ac Diocliæ  
a multis factum in veritate comperimus, vt homi-  
nes Dei timorem non habentes, cum consanguini-  
neis in quarto gradu & quinto, vel infra, contra  
sanctorum patrum constitutionem coniugia con-  
trahere non formident. Quapropter præsenti de-  
creto statuimus, vt quicumque in quarto gradu  
præsertim, vel infra, coniugium habere conuincit-  
ur, nisi ad mandatum ecclesiæ satisfecerit, & a  
ſuæ consanguinitatis incesta coniunctione reces-  
serit, tamdiu maneat excommunicatus, & ab om-  
nibus ecclesiæ sacramentis separatus, donec a nefas-

Concil. Tom. 28.

M ij

ANNO  
CHRISTI  
1199.

ria copula separetur , & ad mandatum ecclesiæ sa-  
tisfaciat.

## VII.

Item præcipimus ut clerici rasuram & tonsu-  
ram teneant clericalem. Qui autem hoc non fece-  
rit, ab episcopo districione canonica compellatur.

## VIII.

Cum duæ sint in terris potestates a Domino  
constitutæ, spiritualis videlicet & sacerdotalis , & vna  
de spiritualibus & ecclesiasticis , altera de sacerdotali-  
bus habeat iudicare , graue committit peccatum  
quicumque laicus vel ecclesiæ donare, vel ecclæ-  
siasticas personas iudicare præsumit. Quocirca præ-  
senti decreto statuimus, auctoritate Dei omnipot-  
entis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, &  
domini papæ Innocentii , vt quicumque clericus  
de manu laica ecclesiæ vel ecclesiastica beneficia  
recepérit, tam qui dederit, quam qui receperit,  
tamdiu vinculo excommunicationis teneatur astri-  
ctus , donec ad mandatum ecclesiæ satisfaciat : &  
quod contra sacros Canones factum fuerit , irri-  
tum habeatur & inane. Illos autem laicos , qui ante  
constitutionem istam ecclesiæ donauerunt, vel  
in ecclesiasticas personas manus iniecerunt violen-  
tas, volumus per episcopos tertio commoneri ; &,  
nisi pœnitentiam egerint competentem , eadem  
sententia teneantur asticti.

## IX.

Excommunicamus omnes illos qui thesauros ec-  
clesiarum iniuste detinent, donec restituant; & eos  
qui Latinos detinent in seruitute, nisi recepta pecu-  
nia quam dederunt eos pristinæ restituant libertati.

ANNO  
CHRISTI  
1199.

X.

Excommunicamus item illos omnes qui proprias dimiserunt vxores, vel de cetero dimiserint sine iudicio ecclesiæ, donec ad ipsas reuertantur.

X I.

Prohibemus etiam ut filii presbyterorum, & qui de legitimo non sunt nati matrimonio, ad sacros ordines non accedant.

X II.

Similiter prohibemus, ut nullus ordinetur in sacerdotem, nisi trigesimum expleuerit annum.

S V B S C R I P T I O N E S.

Ego frater Ioannes domini papæ capellanus, apostolicæ sedis legatus, scripsi & subscripsi.

Ego frater Simon domini papæ subdiaconus, apostolicæ sedis legatus, subscripsi.

Ego Ioannes Diocliensis & Antibarenfis archiepiscopus subscripsi.

Ego Dominicus archipresbyter Arbanensis subscripsi.

Ego Petrus Scuariensis episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Polatinensis episcopus subscripsi.

Ego Petrus Aruaistenensis episcopus subscripsi.

Ego Dominicus Soacinenensis episcopus subscripsi.

Ego Natalis Dulcinensis episcopus subscripsi.

Ego Theodorus Sareanensis episcopus subscripsi.

ANNO  
CHRISTI 2  
1200.

CONCILIVM LONDONIENSE

APVD VVESTMONASTERIVM CONTRA  
prohibitionem Gaufridi comitis de Essexia pro refor-  
matione ecclesiæ Anglicanæ per Hubertum Cantua-  
riensem archiepiscopum celebratum anno Domini  
M.C.C. tempore Innocentii papæ III.

N O T A.

\* *Concilium.*] Extat apud Rogerum de Houeden rerum Anglicanarum scriptorem his verbis : *Eodem anno Hubertus Cantuariensis archiepiscopus generale celebrauit Concilium Londoniis apud Vvestmo-*

M iiij